



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XVII. Quibus titulis afficiendi detractores, & quibus suppliciis sæpe
sint affecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

nec ille angelus est, quem adeo putatis nitere. Cum nihil habent dicere: Multa, inquit, in hunc hominem narranda suppeterent, sed camarinam movere nolumus; tacemus. Hoc ipsum non est tacuisse, sed jam non obscure detraxisse. Sed hæc ideo mustatis, quia vestros in talibus mores non agnoscitis. Pharisei Christum nunquam non odio prosequuntur, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Hinc illæ Phariseorum voces, potator est, labbarum temerat, pessimis quibusque sese aggregat. Quam præclare de his vaticinatus rex David, *Qui retribuunt, inquit, mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Ideo vociferatur Chrysostomus: Es homo, ne venenum evomas aspidum. Homo es, fera ne fias: propterea tibi factum est os, non ut mordeas, sed ut medearis. Idem Augustinus præcipiens: Quo modo iheraseris alteri, ait, quando de te male loquitur, sic iherasere tibi, quando de altero male loqueris.

Deus olim per Isaiam promulgari iussit: *Mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua.* Obsecro & vestras linguas mitite, de detractores, ut illæ iurandum dent Deo, se deinceps in potestate rationis futuras, nullius famam læsuras, nec minimam quidem detractone; leviores etiam defectus tacituras. Et hic consilium suggerens Chrysostomus: *Natura, inquit, viperarum talis est; cum non morderit hominem, statim currit ad aquam: si autem aquam non invenerit, moritur.* Ita prorsus, si quis venenum detractonis aliorum auribus instillat, si vox exciderit incauta, famam alienam violat, mox eadem hora fontem Penitentiae accurret, detraxisse doleat, deinceps futurus cautior; atque si ullo modo possit restitutus quæ lingua clanculum ademittit. Difficile hoc quidem, sed necessarium: & melius est ablata restituere, quam cum ablatis perire.

CAPVT XVII.

Quibus titulis afficiendi DETRACTORES, & quibus suppliciiis sepe sint affecti.

Natura rerum omnium providens, uti Plutarchus philosophatur, homini dedit aures geminas, unicam verò linguam: minus enim loquendum, quam audiendum. Nec aliter è Christi gymnasio discipulus Jacobus Apostolus sentiens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum.* Siquidem membrum nimis lubricum est lingua, & vix unquam labitur sine noxâ vel suâ vel aliorum. Eruditè dixit Anacharsis philosophus: *Tutus est labi pedibus quam lingua.* Hinc raro nos pœnitet silentii, sermonis frequentissimè, uti eleganter cecinit Ausonius:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Rem suo exemplo confirmavit Xenocrates, cum enim maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, unus illorum quæsit, cur solus adeo contumaci ter linguam cohiberet? Respondit Xenocrates: Quia me in commune dixisse aliquando pœnuit, tacuisse nunquam. Modestè tetigit tam placido responso dicacissimos obrectatores.

De perniciosissimo Detractionis vicio, proximis distillationibus dictum, Quid, & quodplex, quamque grave ac noxium sit delictum Detractio; quam etiam difficultis, necessaria tamen sit famæ restitutio, explicatum. Jam progredimur, Detractores ipsos, eo quo merentur penicillo, depicturi.

§. I.

Injuria nemini erit, qui scapham, scapham; qui ligonem, ligonem appellavit: sua rebus nomina sunt assignanda.

A Varium est Detractorum nomen, prout ipsi sunt varii, & modò hos, modò illos lacerant, jam vulpinam, jam leoninam pellem habent induit. E speciosissimis Adulatorum titulis, unum sibi vendicant etiam Detractores.

1. Canes sunt. Siracides aperte: *Sicut sagitta, inquit, infixæ femori canis, sic verbum in corde stulti.* Non quiescit canis dum excidat quod hæret lateri: sic & detractor, si quid vel ipse curiosissimis oculis viderit, vel longissimis auribus audierit, mox effutit. Convenientissimum canibus pabulum, succus panis & ossa. At verò hi canes humanâ specie velati, non tantum ossa rodunt, sed velut elurientes lupi carnes inhiant, & quidem humanas. Job gravissimè questus: *Quare, inquit, persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Caninis namque dentibus semper ringentes, & insultantes mordetis, comeditis, absumentis meam existimationem & famam. *Qui aliena vita detractone pascuntur, inquit Gregorius, alienis proculdubio carnibus saturantur.* Detractor ipsas etiam medullas, abditissima quæque hominis, Intentionem ipsam tanquam Deus judicat; suum Deo gladium, si possit, eripiturus. Detractor humanæ carnis tam appetens est, ut quandoque nec parentibus parcat, sed velut Actæonem, multum reluctantem, & clamantem

Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum, canis nullus pro Actæone nosse voluit: ita hi nec à domini nec à parentibus dentes abstinent, obvios mordere, solenne illis est. Ezechiel prædixit: *Patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres suos.* Addit Hieremias: *Et unusquisque carnem amici sui comedit.* Detractor morfu vel unico, episcopum, archiepiscopum, Pontifices, duces, reges, Cæsares commolere potest; & licet esurialibus diebus carne bubulâ vel ovillâ, non tamen abstinet humanâ. Detractor vero nomine Canis est, qui macellum omnè scrutatur, ore semper cruento. Cave canem hunc, cave. Illius vox est: *Veni nobiscum, insidiamur.* *Sanguini, abscondamus tendiculus contra insontem frustra: de gladium eum sicut infernus viventem, & integrum quasi descendentem in lacum.*

2. Erius marinus est detractor, aculeorum plenissimus, quibus pedum loco utitur; piscibus omnibus timori est. Detractor intus & foris aculeatus est; quacunque tetigeris, cave; cave murices, inuncaberis. Erius adest, detractor tibi imminet. Hunc si interroges: Nunquid novi? Protinus narrare incipiet hunc in modum: *Ille heri fuit ebrius: iste tantum & tantum æris decoxit aleâ, hic visus est ingredi lupanar, iste cui semper Mars in manu est, duos dentes amisit altercando & pugnando, ille mercator viginti philippeis emptores circumvenit &c.* His aculeis inserpit Erius iste, hæc illius narrationes sunt, ita omnibus piscibus horrore est. Nam quod Siracides docet: *Linguatus & temerarius in Eccli. cap. 9.* verbo odiosus erit.

3. Scarabeus & Hirudo est detractor. Chrysostomus: *Omnes, inquit, avertantur maledicum, ut eum qui lutum redoleat, ut hirudinem qua sanguine, ut scarabæum qui stercore, Chrys. in ps. alienis malis, aluntur.* Tu ergo apes amulare, & flores è vepribus lege ac favos concinna. Guilielmus Peraldus: *Os detractoris & maledici, ait, aquimarium est diaboli, quod non lustralem & sacram sed sordidissimam detractonis aquam continet.* Ex hoc vale, diabolus plurimos impurâ circumfert undâ: at hanc non in vultum sed in tergum perpluit; boli absentibus enim officit detractor non præsentibus, uti hirudo sanguinem plerumque trahit à tergo sequentem. Sed sciant quicumque aliis detractare consueverunt, hos sæpe gravius peccare, qui scelus aliorum aperiunt, quam qui committunt.

4. Porcus est detractor: hæc enim bestia cum in agrum fortè irruit, non flores sed fimum accurrit; ita ille non observat quod boni exempli est, sed quod mali; oculis pascit vetitis. Cum Balaam detractaret maledicere Iffaci,

Canes sunt. Eccli. c. 19. v. 12.

Job cap. 19. v. 22.

Greg. lib. 4. mor. c. 14.

Ovid. lib. 3. metamorph.

Ezech. c. 5. v. 10.

Hierem. c. 19. v. 9.

Prov. cap. 1. v. 11.

2. Erius marinus.

3. Scarabeus & hirudo.

4. Porcus.

Numb. c. 13.
v. 13.

Israëli, rex Balac in eum commotior: *Veni mecum*, inquit, in alterum locum, unde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledictio ei. Putavit rex territum hominem populi multitudine, ideo non ausum maledicere. Proprium est obrektoris, unam solummodo partem rei gestæ convellere; si, quæ præcessissent, quæ fuissent secuta, scirentur, aliter & ille loqui aliter & alii sentire cogentur. Ecquid demum est in rerum naturâ quod omnem excludat reprehensionem, omni probro sublimius? Luna pulcherrimum sidus est, sed & suas sibi maculas habet: Sol longè nobilior & formosior alitum, sed & hic deprehensus est naxis non carere. Ut minus erres, rem totam inspicere, & facile totius symmetria, partes minus commendabiles defendet.

Vide Christophorum Scheimerum de maculis Solis.

5. Leo & hyena. Arist. teste lib. 7. Animal. cap. 4.

5. Leo & Hyena est detractor. Theocritus olim interrogatus, quæ essent immanissimæ feræ: Respondit, In montibus & silvis leones & urso esse putem ferarum ferocissimos; in oppidis verò & urbibus Feneratores & Detractores. Cum autem nec mortuis quidem parcant detractores, Hyenæ merito conferuntur. Hæc lupo non absumilis, humana carnis tam appetens est, ut tumulos etiam effodiat, & cadavera in cibum sibi exhumet. Modestis oris homo, suam omnibus famam, quantum licet, sedulo tueretur, si quid de aliis vitiosi notit, silentio velut molli terrâ sepelit; Obrektor carnem cadaverosam & tabo fluentem & sepulchris eruit, vitia occulta in lucem protrahit, scelera oblivione sepelienda in memoriam revocat: Hyena est; Leo est.

6. Moneta adulterator & fur est.

6. Detractor, moneta adulterator & fur est. Monetam enim sic accidit, ut ubique repudietur: Apagere hunc nummum, ajunt, nimis arrosus, nec ad libellam probus est. Ita crebris verborum insidiis plurimi, impediuntur ne emergant, aut ubi emerferint, in antiquas tenebras relabantur; ubique reperiunt quæ suæ famæ ac fortunæ obstruant. Essent hi quidem velut proba atque legitima moneta, sed detractor quispiam sic eam circumcidit, sic hominem illum describit verbis, ut nusquam ei bene sit. Detractores & delatores falsos flagellis ac fustibus cædi, & in exilium pelli Vespasianus imperavit; vivos etiam exuri Augustus mandavit; nervis cædi Mauritius Imperator iussit: capitali pœnâ affici M. Antoninus Pius voluit. Optime dixit Salomon: *Abominatio hominum detractor.* Hoc quidem non summum malum foret, odio esse pluribus, nam & Christus prædixit: *Exitis odio omnibus hominibus.* Sed attende quid adjungat: *propter nomen meum.* Detractor non tantum publicum populi odium, sed & Dei est, idque suo merito. Nam, *Detractores Deo odibiles.* Hic titulus illis convenientissimus: *Odibilis Deo.* Ideo Salomon commonens: *Cum detractoribus,* inquit, *ne commiscaris, quoniam repente confurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit?*

7. Serpens. Eccl. c. 10. v. 11.

7. Denique Serpens est detractor; hoc ei nomen primo jure debetur. Ecclesiastes apposuissimè: *Si mordeat serpens,* inquit, *in silentio, nihil eo minus habet quod occulte detrahit.* Detractionis naturam eximie repræsentant verba: *Occulte detrahit.* Detractionem enim à contumeliâ discriminant theologi, quandoquidem contumeliâ præsentem lædit & dehonestat, detractio absenti conviciatur, & bonæ famæ exstimationem imminuit.

Detractor ex omni hominum numero execrabilis est.

Ex omnibus omnino animantibus, solum serpentem Deus execratus est: ex omnium hominum numero præcipue detractor diris devotus & execrabilis est. Sunt autem serpentes, qui ut vivant, matrem suam necant; detractor antequam aliis noceat, sibi ipsi ac suis obest plurimum. Et sicut serpens facillè lædit, unòque morsu totum corpus inficit, ita detractor pauculis verbis, famam & quandoque vitam aufert alteri. Quemadmodum verò diabolus rectissime Serpens dicitur, sic detractor hæc in re diabolus simillimus, & accusator fratrum suorum

est, & ubi accusare non potest, calumniator. Venissimum vates detractoris tanquam serpentis diversicolorum pellem ita depingit:

— Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante solutos
Qui captat risus hominum, famamque lucis:
Fingere qui non visa potest, commissa tacere.
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Rem verbo dixit Bernardus: *Fuge detrahentes quasi serpentes.* Sunt serpentes qui suum veneni thesaurum non cavent, sed linguâ, aut vesiculâ subtus linguam, aut dentium cavernulis, aut ipsiis dentibus contineant, itaque totum cum mordendo inspuant, vel etiam spuendo jaculantur. Hinc Avicennæ *aspides suentes.* His serpentibus simillimi detractores, qui letale virus linguâ occultant, illudque expuunt loquendo. Et quamvis hæc viperæ vix ulum sui morsus vestigium relinquunt, mortem tamen inferunt, ostiolo ægrè visibili. Hinc Cleopatra quæ gladios & vulnera horrebat, nec aliud quam celerem & placidam mortem querebat, aspidis morsu vivere desinit: ita detractor sæpe non grandi tumulu ferit, & vix notabili afficit vulnere, famam tamen enecat:

— Absentem qui rodit amicum,
— hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Nec levi tantum studio caveto: si quidem detractor vel colubro exitiabilior est, virus detractoris pæne immedicabile. Hoc supplicii genus minatus olim Deus: *Ecco ego,* inquit, *mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Romanus sapiens: *Tutè, inquit, serpens tractatur dum riget frigore, non desunt tunc venena, sed torpent.* Eliano & Plinio auctoribus, ad primos Euphratis ortus serpentes nascuntur, exteris quidem innocentissimi, non item indigenis. Angues in Syriâ, maxime ad Euphraten, dormientes Syros non attingunt. Præterea in Africâ Phylli; in Syriâ Syri; in Cypro & Hellesponto Ophiogenes; in Italiâ Narsi, genus hominum est quos anguigenas vocant, qui nullos timent serpentes: & apud Aegyptios mansuescere tradunt aspides. Sed lingua detractoris nullam induit mansuetudinem, nec mini non formidabilis; quæ suos perinde atque exteros, amicos, inimicos, probos, improbos; dormientes, rigilantes; vivos, mortuos invadit, mordet, inficit, perimit universos. Rectè dixit Chrysostomus: *Qui detractorem studet, diabolo servit. Grave malum, turbulentum damnum est detractio.*

§. III.

S. Anctus Arnulphus, notum Belgii sidus, Metensis antistes, tribus illis feriis quibus ad urbis, agrorum & segetis calamitates avertendas supplicatur, cum suis extra pomerium supplicationes instituit. In turbâ latebra femina malo genio infessa, quæ fœdis clamoribus prodere se cœpit. Accurrit ad Arnulphum præfulem, qui cæcodæmonem hospitio per vim occupato feliciter expulit. Varius hic vulgi rumor: *Noddo, vir improbus lingue, & tunc probe apporotus, in suum præfulem multa incipit garrere.* Ecquis, ait, est iste episcopus? domum tuam habet non usquequaque sanctam; etiam à male famâ hominibus ipsius limina teruntur; etiam sancti noxæ subinde fieri homines. Hæc non impunè dixeris maligne: tua te Nemesis non præteribit. Noctu incendium aedes invadit, & Noddonem cum socio sic corripit, ut toti ardere viderentur: illi hoc unum, *Aguas, Aguas,* clamabant, *Aguas.* Demum profluit miser, & humi se volutant velut equi verminosi, sed vix tandem inherens flamma comprimitur. Passus est bonus Deus, illos tunc exire interitum, sed eosdem ad penam repetit. Nam ille ipse detractor, in his ipsis criminibus, quorum præfulem suum arguebat, convictus, caput perdidit; quod utique servasset, si didicisset servare linguam. *Pesima vulpes,* inquit Bernardus, *oculus detractor.*

Nova

Nova priscis miscemus. Anno millesimo sexcentesimo sexto, Zagabii in Aultrā, quidam non è plebe, viris religiosus in consensu plurimum graviter detractans, & locum loquente digito monstrans: Inde, inquit, precipitandi sunt hi nebulones. Post paucas omnino horas, hic ipse illuc conscendit, & è summis scalis capite pronus ruit; inde seminecem detulerunt domum. Ubi à ruinā tam gravi ad se rediit, Dei manifestariam in se vindictam fassus est. Arque ubi convaleuit, supplex veniam petiit ab iis ipsius quos læsarat. Non detractoribus solum, sed & detractoribus parata sunt iudicia. Nec quisquam hoc miretur: Detractor pessimorum furum pessimus fur est; rem furto subtractam non clam servat, sed aliis in prædam obijcit, facitque decem millia furum, unicuique, quod primus ille commisit, furto: Unicam detractoris linguam, multa linguarum millia sequuntur, & hoc omnes agunt, furati famam. Quapropter sua jam parata sunt etiam detractoribus supplicia.

Maurus divi Benedicti notissimus discipulus, è suo in beati Martini cœnobium migravit, ut sacrum ædificium illic moliretur, ubi architectum subito ruente mole collisum miraculo sanavit. Cæmentarii soluti oris homines: Quis scit, ajunt, quā illam arte in integritate restituerit, monachus est vagæ habitations; fidat ei qui vult. Audiit Deus, & mox adfuit ultor à tergo, tres illorum malas genitus insedit; unus aded miserè habitus est ab hoc suo hospite, ut lugubri cum ejulatu expiraret. Maurus ubi hoc inauduit, rectā in divi Martini ædificium se recepit, & tribus horis continuis, in preces se effudit, dein obfessos accedens: Dei filius, inquit, qui suis potestatem dedit calcandi serpentes & scorpiones, liberet vos. Cùmque illi magis furerent, digitos immisit in os furiosorum, ita demum ingenti cum fectore, notā symbola relicta, cesserunt Orciniani hospites. Ita Deus in legitimas solet animadvertere. Lex est: Non eris criminator nec furs in populo, Ultorem senties Deum, quicquid ausus fueris hanc Dei legem evertere.

Narrat Paulinus, ille priscorum Patrum laudatissimus, duos sacri ordinis viros subito fato corruisse, quod Ambrosio Mediolanensi præfuit defuncto detraxissent. Ex his alter sacerdos Afer, sed Mediolani in sacerdotium venit. Hic in convivio contemptum Ambrosii antistitis jam functi laudibus obtraxerat. Auditores habuit non valde benevolos. Sed hoc illi tristissimum, quod & Deum habuerit auditorem. Nam subito miser expallescere, voce tribulare, artibus tremere cepit. Sic inter brachia deductus est ad lectum, & unā ad legem. Dixit Augustinus: Deus, totus pes est, totus & manus, & oculus est: addo, totus & auris est: videre quā nihil obaudiat! Detractores Deo odibiles. Nec quisquam purgaverit culpam, etiam si præfatione utatur: Ita fortis hæc dicuntur, fide quā emi, vendo. Malas & furtivas merces, mi homo; nec emptas quidem vendere licet. Audisti hæc ab aliis? cura tu, ut ea clanculum sint dicta. Sitacides monet: Audisti verbum adversus proximum tuum, commorietur in te, fides quia non te dirumpet.

§. IV.

Prandium subinde caninum instituunt collocutores aliquot, tanquam compatores: quivis suam confert symbolam: sed hoc demum agitur, ut absentes qui non pranderunt, solvant symbolas; pleraque omnia damno aliorum dicuntur. De his symposiis præmonens Salomon: Noli, ait, esse in convivio potatorum, nec in comestationibus eorum, qui carnem ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & symbola dantes consumentur. De his symposiis hæc appositè Gregorius: Qui aliena vite detractioe paribus vacant, inquit, alienis procul dubio carnibus saturantur. Potibus vacant, qui de vite aliena opprobrio se inebriant. Carnes quippe ad vescendum conferre, est in colloctione derogationis vicissim proximorum vitia dicere; symbolam verò dare, est,

Tom. I.

A sicut unusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in consabulatione, detractiois verba conferre. Vestietur autem pannis dormitatio: quia despectum & inopem à cunctis bonis operibus inors sua invenit, quem hic ad aliena vita exquirenda crimina detractiois sua languor occupavit. Nec noxam purgat, dicere: Levia sunt hæc. Sæpe enim parva scintilla magnum excitavit incendium: lingua detractoris spargit ejusmodi scintillas, in incendium gliscentes. Sunt omnino levia, dices. At si graviora scires, etiam illa effutires. Tu verò pertendis levia hæc esse. At certè non sunt levia quæ invidiam olent aut superbiam, quæ animos dissociant, levia non sunt. Neque enim leve quid est, alterius famam vel leviter imminuere. Non minus homicidium est graphio aliquem atque gladio occidere. Non minus intemit Cassianus puerili manu & minutis vulneribus confossus, quàm si Hectoris aut Achillis manu cecidisset: quantò enim infimior erat manus pungentium, tantò gravius fuit dilatae mortis supplicium; quantò leviores videntur detractoris puncturæ, tantò subinde perniciosius fauciant. Hæc Deus impunè abire non sinit. Qui detrahit fratri, aut judicat fratrem loc. cap. 4. suum, detrahit legem, & judicat legem. Thomas Cantipratani, Cameracensis proepiscopus, suis se oculis usurpasse affirmat non minus horrendam quàm admirandam hujus vitii vindictam. Novi, ait, sacerdotem, nomine magis quàm re talem, qui ed linguæ perulantia prolapsus erat, ut quò facilis alios etiam sacerdotes in infamiam traheret, de seipso pessima queque mentiretur. Hic morti jam vicinus, furiis actus, tantā in seipsum rabie debacchatus est, ut dentibus linguam maledicam fecèdè laniaret & commoleret, idque palam omnibus ostenderet inde supplicii exordium sumi, unde ille sumphisset peccati. Sapientissimè monet Ecclesiastes: Ne temere quid loquaris &c. Deus enim in calo, & in super terram, vers. 1. idcirco sunt pauci sermones tui. Nondum caruleas illas plagas transectus es; nisi tuarum ipse sis padagogus vitiorum, non pervenies illud, abibis in voragines ardentium focorum. Quod si custoditam vis mentem tuam, tuam tu prius custodi linguam, omnem detractandi libidinem dedisce.

Sacerdoti, quem dixi, non multum abfamis fuit in Angliā olim vir religiosus, sed veste solum non moribus, qui rabido detractiois depre quovis lacerare solitus est. Hic cùm jam in extremis ageret, monitus & rogatus est, sollicitè cogitaret, quòdnam iter insisteret, quò tenderet; de tota nupta æternitate agi. At ille: Omittite hæc, inquit, monetis frustra. Illi verò divinam clementiam opponere, fiduciam in Deum suadere, & omni modo animum ad alta erigere conati sunt. Sed moribundus linguam exerens, & digito eam percutiens: Hæc, inquit, lingua pessima me damnavit. Dixit & lingua repente sic intumuit, ut in fauces retrahi nequiverit. Ita infelix expirans grande documentum dedit detractoribus, ut alienis saltem detrimentis sapere discant, & emendatius loqui.

Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustis animam suam. Prov. c. 21. vers. 23.

CAPUT XVIII.

Auditores DETRACTORVM, quā graviter delinquant.

M Agnes tam arcana quā admiranda prorsus Magnetis virtus est, si vel experientiam de eo loquentem admiranda audiamus. Ut taceam cetera: pugio si magneti adfrice, ita vulnerat, ut is qui pungitur, non sentiat se vulnerari. Rem ex fide narrat Hieronymus Cardanus, affirmatque se vidisse magnetem in ædibus Laurentii Guasici medici, quo si acus aut ferreus stylus fuisset illitus, quavis corporis parte infigi sine sensu posuisset. Res hæc,